CORONA

Gemmis Augusti sangvinis,
Auro meritorũ in Patriã & Ecclesiã

PRETIOSA

Ante Thronum Gentilitij AGNI
ILLVSTRISSIMI
&
REVERENDISSIMI DOMINI

D. JOANNIS FELICIS

in SZANIAWY

SZANIAWSKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CHEŁMENSIS
In ascensu ad Pontificale solium
A Devotissimis Magno Nomini Diœcesanis Collegijs
Scholarum Piarum Chełmensi & Varezensi

POSITA

Anno.
Coronantis nos in misericordia AGNI 1725.

CRACOVIÆ Typis Iacobi Matyaszkiewicz, S. R. M. Typographi.

In Avitum Decus

ILLVSTRISSIMÆ

SZANIAVIORVM

Domûs



I.

Eſt caput aſtrorum, pretioſi velleris AGNVS
Spectat ad auratum jure corona caput.

II.

Gemmifero niveũ diademate cingimus *Agnum*
Quòd ſit Sarmatico Victima grata Iovi.

ILLUSTRISSIME
&
REVERENDISSIME
DOMINE.

Ad Dominas jaciũt plãtas Diadema Camænæ
Impar officijs muneribusq; Tuis.
Nõ radiat gemmis, Lybico non Gange refulget,
Tu tamẽ hoc supples Lechica Gemma decus.
A Te quidquid habet, trahit ista Corona, valoris,
E meritis pretium suscipit omne Tuis.
Nil ferimus nostrũ, siquæ Stephanoma coronat,
Sangvinis ex alto est gemma recepta Tui.

Si

Si roseus forsan sertum quis flosculus ornat,
Ex campis AGNI flos venit ille Tui.
Si quantum tenuis splendorem pagina spargit,
Tu Patriæ Sydus lumina tanta creas.
Dictio sublimi consurgit fortè Minerva?
Erigitur titulis integra svada Tuis.
Hoc solum nostrū est, quòd spiret pagina servos
Nos totum xenium parva corona sumus.
Dicimus ingenuè, quòd simus parva corona
Nunquam Præsuleo vertice digna Tuo.
Quòd tamē excelso capiti stephanoma sit impar
Majestas Domini protegat ista Throni.
Vellere quo pridē consvevit, nos tegat AGNVS
Dum diadema suum mittimus ante Thronū
Is gressum quocunq; sacrū promoverit, exnunc
Ibit post Dominum subdita turba suum
Nunc dū Præsulei conscendit culmen honoris,
Hæc illi ex animo penna sacrata vovet
AGNE Tuo fortuna trahat de vellere stamen
Quo fieri valeat Purpura Sacra Tibi.

Ita precantur

ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ

DOMINATIONI VESTRÆ

Devinctissima

Diœcesanâ Scholarum Piarum Collegia

PANEGYRICUS.

Hodie tandem SERENISSIMI AVGVSTI SECVNDI secũdantur vota, utriusq; Senatorij Ordinis coronantur desideria, dum emeritissimum Tuum caput, secundà hâc Pontificiâ coronatur tyarà ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE. Pridem iste cardinalibus virtutibus meritisq; Tuis Senatorio Præsuleam optabat purpuram, pridem ille ante thronum gentilitij Tui AGNI

coronam hanc mittere decreverat, postquam omnibus dignum advertit diadematis, sed Stemmaticam BENEDICTI XIII. expectavit ROSAM, ut comptiùs ornato coronaret stephanomate, ubi cum sua gemma Aquila *INNOCENTII avolavit. Expende affectum aurei in ferreo sæculo Principis Polone orbis! ut de condigno Principem astrorum AGNVM SZANIAVIANVM coronaret, Gēmas quæsivit, florem coronarū Rosam adhibuit, ipsa sydera in* Chełmēsi *attribuit* Helice. *Non alia tamē AGNVM istum decebat corona, quæcunq; in alto honorum reperiuntur gemmæ, in Pæsto purpurarum, flores, in cælo titulorum, splendores, eruditissimo illius vertici, quo omnium coronavit corda, debentur universi. Imò (si verum fateri volumus) omnis hæc decorum summa, nec infimis meritorum ejus proportionatur; inde est; quòd ad candorem*

Stemma S. m. Innocē, tij XIII.

dorem illius omnes verecundo rubore suffundantur purpuræ, penes toto diffusos orbe ejusdem splendores, universa honorum phænomena eclypsentur. Sydus hoc in Polono polo primæ magnitudinis, suis tantum potest illustrari fulgoribus, AGNVS hic, de suo tantùm contexto vellere dignè potest ornari paludamento. Et hinc est, quòd nos Panegyricum orationis filum de pretiosa solummodò illius ducemus lana, cornucopias acuminum ex ejus depromemus cornibus, sublimiores sensus ex capite desumemus, ut tenuitati svadæ nostræ consulamus. Quòdsi & penes hanc ornamentorum summam, cyfræ erunt oratorij Circuli in coronamentum Victimæ honorum AGNO Tuo ILLVSTRISSIME ANTISTES destinati, Tuo imputa nomini, cujus tam grande est per orbem integrum pretium, ut nullæ in archipelago eloquentiæ reperiantur gemmæ, quæ il-

 lud

lud attollant, nullæ in thesauris humanioris literaturæ dentur divitiæ, quæ illud augere valeant. Nihil inveniunt in manibus suis viri divitiarum scholasticarum, quod ad aram Tui honoris afferant, si in Pactolo elogiastica tingatur penna, si gemmei venæ profluvij in encomiasticas deriventur paginas, si adamantino scribaris stylo, nihil ad ingentem Tui nominis addetur valorem. Vel unica virtus Tua omnes Oratorios excedit Numeros, ampliusq; valet sanctior illius scrupulus, quam omnes Hydaspis pretiosi saburræ. Tu ipse tantummodo sufficiens es Tibi pretium Gemma Præsulum, cæterùm aurum illud quod in aurifodinis eloquentiæ asservatur, gemmæ illæ quæ in Tulliano attinentur pelago, nisi à Te valorem mutuētur, nihil valent. Patieris tamē & ex hoc metallo elaboratam, & ejusmodi ornatam corallijs AGNO Tuo à

nobis

nobis imponi coronam, addent illi singulare ornamentum corallia augusti Sangvinis, augebunt pretium gemmæ Tuorum meritorum.

Circularem diadematis nostri lineam à centro decorum Magnæ Domûs Tuæ ordimur ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, quam dum penitiori scrutamur indagine, novum in terris cælum, aliud extra Romam Pantheon, quod sola inhabitant Numina, sine hyperbolicæ elevationis nota dicere possumus. Quid enim in illa non sublime? quid non sanctum? quid non divinum? Vnum terra Deorum ferax Græcia jactat Jovem, uno Gradivo, uno superbit Mercurio! in Domo SZANIAVIANA plura ejusmodi enata Numina, quàm olim in Latio Heròés. Quot enim vel hac ipsa ætate non numerat Joves, qui non jam uni Europæ, sed orbi integro

Illustr: Domûs Szaniaviana Divorum Dom9

 baju-

bajulando sufficiunt, in id unum intenti, ut doctas orbi progenerent Pallades, & aureo suæ liberalitatis imbre Sarmaticam ditant Danàén. Fulmen illis in promptu Polonæ ministerio Aquilæ, quoties in cælum patrium conjurati insurgunt Gigantes, illa in consilijs prudentia, ut meritò Deorum Senatui præesse debeant, illa eloquentiæ dulcedo, ut apes in ore ipsorum mellificâsse videantur. In hoc tantùm Jovi dispares, sed eò ipsò majores illo, quòd nullas divinitati repugnantes admittant labes, nec arietis alieni ad honorarias trabeas vellere egeant, sed avitus AGNVS ad Senatorias purpuras, ad Præsulea pallia, pretiosæ vellera lanæ illis submininistrat. Gradivos quis ad calculum revocet? tantus illorũ numerus est, ut coronatus Lechiæ Iupiter integra ex illis solis possit habere castra, quibus infensos sibi prosternat Titanas. Quanto in

amore

amore habeant loricata Vulcani retia, dicant Leones Svetici toties illis implicìti, quantùm ad propugnandum polum Poloniæ valeant, loqvantur prostrati Enceladi, defensus Deorum peroret exercitus. Mercuriorum pro bono Patriæ disertissimorum non minor copia, stellas olympi faciliùs computaveris, quàm numericam eorum proportionem comprehendas. Quòd si præsentis sterilitas sæculi adeò fæcundo germine in Domo Tua REVERENDISSIME PRÆSVL progenerat Numina, beatior ævi præteriti ætas, quot non debuit habuisse ex illa Consos sacratioris concilij Præsides? quot non numerâsse Apollines suis oraculis celebres? gemmarum in Erythræo latentium copiam, extracti uniones indicant, quàm denso flore vernaverit arbor, ex subjecta oculis, fructuum ubertate colligimus, multitudinem magnorum Lechiæ Numi-

num in Domo Tua præterlapsis pro-gnatorum ætatibus, ex præsenti eorũ numero mensuramus. Pro superi! quod cælum in paginam descenderet, si universa statuere deberemus, quot templa honoris erigenda, si singulis particularem venerationis cultum tribuere vellemus. Suffecerit unum Romanis Pantbæon deastris, SZANIAVIANA Numina vix orbis ambiret, si in templum verteretur. Nimirùm vel decurrente florentes sæculo SZANIAVII in illam excreverunt magnitudinem, ut illis cum Macedone orbis alter quærendus sit, qui illorũ gloriam comprehendat.

Panegyris Celsissimi Principis Episcopi Cracoviensis.

Primus in paginam tantâ meritorum sublimis magnitudine venit CELSISSIMVS PRINCEPS, REVERENDISSIMVS PRÆSVL CRACOVIENSIS CONSTANTINVS SZANIAWSKI. Circumfertur per orbem integrum

Duca-

Ducalis fama, nec vastissimâ illius circumferentiâ potest circumscribi. Biceps Imperij Aquila, grande Magni Pontificis ad superos vehit usq; nomen, & adhuc habent, quod de illo canant Alaudæ Austriacæ, coronat emeritum illius caput suis floribus Gallia, terno coronarũ orbe Vavelus, & adhuc superest locus, in quo ampliora reponantur coronamenta; Romanus Tyberis pleno in elogia illius volvitur alveo, Hispaniæ Tagus ad extrema oceani littora liburnim Præsuleæ vehit gloriæ, hic verò suo fluxu & refluxu per orbem integrum, quem ubi magnitudini illius advertit imparem, grandiore aquarum queritur murmure. Illa est Pontificij majestas nominis, ut nova sint investiganda maria, per quæ proportionatos sibi fama illius attingat terminos, nova Mathematicis quærenda phænomena, quæ adæquatam illi honoris accendant lucem.

 erra-

erravimus! novus Columbo indagãdus orbis, qui hujus solis fulgoribus illustretur. Videlicet illo sapientiæ radiat jubare, ut si tot orbes haberemus, quot regna, omnes irradiare, singulis meridiẽ felicitatis posset accendere. Quantum lumen gloriæ orbi Polono accenderit, cæcus necessè sit, qui illud non videt, quantam Senatoriis astris consiliorum communicet lucem, exserenata bellorum nubila, dispunctæ mutuarum dissensionum nubes, reaccensus Poloni nominis testatur splendor. Quòd enim post bellorum fulmina sudum habeamus tranquillæ pacis, primæ magnitudinis luminari Illius debemus AGNO, quòd fluctuans inter seditionum tempestates Reipublicæ oneraria, ad fortunatas beatæ pacis insulas proximè sit eluctata, lucernæ *Illius AGNO, omni Pharo illustriori adscribendum. Crescunt virides pacis oleæ in latepatentibus Sarmatiæ nostræ*

cam-

campis, sed illas sanctior iste suâ plantavit industriâ Alcinous, fugerunt partes adversæ libertati Lechicæ, sed illas suæ crucis signo in fugam Magnus iste compulit CONSTANTINVS, stetit post longa dissidia, mutua animorum colligatio, sed illam aureo eloquentiæ suæ torqve Divinior iste nexuit Gallicanus. Huic FELICIANO debet suam felicitatem AVGVSTVS re & nomine Secundus, *illius Gentilitio* Arieti *expugnata tot hostium pectora, quæ Martem & longiora spirabant bella. Non est, quod invideamus, suum Ægypto Trismegistum, Magnum Principem, Magnũ Sacerdotem, Magnum Philosophum, habemus namq; Principem, qui magnitudine gestorum superavit maximos, sapientiâ excessit sapientissimos, sacerdotij sanctitate æquavit magnos. Princeps inter Præsules Poloniæ hoc sublimes titulo secundus, Senatoria*

eruditione, Pontificia virtute primus, ad obsequia coronati Principis, ad defendendam libertatem patriæ, ad tuendam authoritatem Ecclesiæ, nunquã postremus. Mente, in coronandis Regij capitis consilijs immersus, oculis, ad avertenda Reipublicæ pericula intentus, ore, in orthodoxæ tutelam fidei promptus, pectore in amorem commissi gregis effusus. Avitus Illius AGNVS velut ille Divi Clementis aries non jam fontem, sed oceanum gratiarum elicit, aut velut ille Vrbani septimi symbolicus, fodinas auri effodit liberales, quibus singulorum provideat egestati. Quantùm nos ipsos Dei Matris Pauperes ditaverit, documentum præbet Stemmaticus Fundatoris Nostri catellus, benè infartum in ore suo portans marsupium, testantur muti lapides, de Cracoviensis pariete basilicæ, quos Sanctior Amphion in magnificum Numini coëgit sanctuarium. Non

minor

minor liberalitas in Petricovienses, Łucovienses *Musas, quæ sua serta, floribus gratiarum illius debent. Par munificentia in alios ordines, Ignatianis flammis, nè extingverentur, copiosissimum providet nutrimentum, Stemmaticis Carmeli Syderibus novam indesinenter gratiarum communicat lucem, florentissimæ Bartholomitarum Congregationi novum plantavit Paradisum. Vt* Kielcense *cælum, quod avito Suo serenatur AGNO, radiaret amplius, his illud ornavit syderibus, ut erecta Ducali magnificentiâ, Domus sapientiæ inconcussa staret, his illam fulciri columnis voluit. Munificam in aras, & templa Magni Pontificis pietatem quis explicet? Soli Justitiæ, novos in terris cælos, Regi regnantium, basilica erigere palatia, prima illius sollicitudo est. Divo illi de quo Rosa sinè spinis prodijt, liliato devotionis candore conjūctissimus,*

Aram illi in Sanctuario Cathedrali tam solidam erexit, qualem decuit CONSTANTINVM, illa ornavit supellectili, ad quam purpura Principis non erubesceret. A prælijs Ecclesiastico prohibitus canone, novum bellandi invenit modum, nempe certare liberalitate cum superis, aureis illos impugnare globis, in quo certamine, an plura amiserit, an verò receperit, ut nobis ambiguum, ita Illi intra gloriam indubiam. Quid reliquas requisitas in Principe memoremus virtutes? Cardinales dictæ, non purpuram tantùm, sed & coronam merentur in Illo, postquam illis regiam sui concessit pectoris. Magnitudo excelsæ mentis ultra omne fastigium, demissio infra omne profundū, constantia supra omne exēplum. Nihil in Magno hoc CONSTANTINO parvum, nihil mediocre habet orbis, in publico plusquam Princeps, in consilijs plusquam Senator, in tem-

templis plusquàm Pontifex. Immoraremur diutiùs tanti Principis laudibus, quem præterita desiderârunt, futura nobis invidebunt sæcula, nisi sciremus, quòd veluti nemo soli lucem, adamanti pretium addere valeat, sic nec Illum oratoria possint illustrare lumina, opes literariæ facere pretiosiorem.

Ad ILLVSTRISSIMVM & EXCELLENTISSIMVM Dominum Castellanum Lublinensem *vectigalis transvolat penna, in cujus dotes, divites suas exhausisse gazas videtur natura. Contulit alijs plurima, Illi omnia; aurea alijs attribuit talenta, sed cum scoria. Coronavit auro prudentiæ Fabij Cunctatoris caput, sed plumbeum illi immisit animum, posuit rosas in ore Tullij, sed illas spinis inconstantiæ stipavit, sydeream in Numa creavit animam, quæ tamen suas spargeret umbras; ILLV-*

Illustr: Castellanꝰ Lublinen: magnarũ dotum.

STRISSIMI CASTELLANI aureæ menti proportionatum elaboravit caput, ſic Illum rariſſimorum illuſtravit talentorum fulgoribus, ut nè minimam illis imperfectionis umbram ſociaret. Congeſſit in illũ omnia pulchra abſq; nævo, prudentiam ſinè errore, animoſitatem ſinè temeritate, integritatem, ſinè corruptione, magnificentiam, ſinè elatione, omnia ſumma in eminenti. Perorat in ſenatu? illos eloquentiæ ex ore ſuo depromit flores, ut herbam illi triumphalem, omnes Hortenſij ſuccumbendo cogantur porrigere. Oratorem Principis agit? penes hunc ſolem, ſydera legatorum extingvuntur, diſcutit in Areopago litium nubes? illam è fonte luminum patrijs legibus affert lucem, ut ſoles Areopagi illuminentur. Si Pythagoricam citra errorem in fide liceret admittere metempſychoſim, poſſemus dicere, animam Æneæ cum armata pietate,

etate, Cæſaris cum triumphali eruditione, Licurgi cum juſtitia clemente, in illum transmigràſſe. Non tot in domo Deorum Dea gentium Roma ſimulacra poſuit, quot in ſacratiori pectoris illius Panthæo numeramus. Illud autem hoc Numinum habitaculo glorioſius in ſe exhibet, quòd cùm omnes virtutum deas admiſerit, ſacrilegia excluſit univerſa. Nullam hic habet aram laſciva Venus, vindex Nemeſis: armata Pallas, amica cælis Aſtræa, liberales Gratiæ, & quidquid non vulgarem ſapit divinitatem, ſanctuarium iſtud occupavit.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO Regni SECRETARIO, quis calamus proportionatum exarabit elogium? quæ eloquentiæ gemma Cordis Regij, arcanorum Reipublicæ Sigillo par erit? Florem ingeniorũ penes avita ſua Lilia dixêre Galli, & emarcidum encomium eſt, Gemmam Illuſtr: Regni Secretario omni elogio major.

E ſcien

ſcientiarum vocavit Italia, & minùs pretioſa laus eſt, Coronam Regni Sarmatici, Caput orbis compellavit Roma, & minùs rotunda panegyris eſt. Torquet ſe coronatum caput, ut dignũ de illo depromat judicium, cui mentis ſuæ abdita credidit, ſed aureos ſuos ſenſus infra pretium Illius advertit, mittunt Seniores ſuas coronas ante thronum gentilitij ſui AGNI, quia dignus eſt aperire librum arcanorum Regni, & ſolvere ſignacula ejus, ſed & hæ capitis illius non adæquant majeſtatem. Ipſa tantùm ſuâ pennâ, quâ Regni arcana notat, dignum nomini ſuo poteſt exarare elogium, ipſo capite ſuo, quod aurum eſt optimum, appretiari. Poſſet dignitate meritorum ipſis honoribus honorem conferre, quem præ foribus illius ſtantes, tanta temporum diuturnitate petunt, nec accipiũt. Proſternunt ſe non ſemel ad veſtigia novi hujus extra Palæſtinam Joſeph

hono-

honorum manipuli, adorant illum dignitatum phænomena, lucem ab Illo quærentia, ſed ſemper illis nubem ſuæ opponit modeſtiæ. Veniet tamen tempus, quando pertinaciam Illius Paſtorali virga toties contemptus puniet honor, quando ad pontificiam damnabit crucem à caſtris ſuis transfugam, dum exceſſum iſtum in Præſuleo Senatoria erubeſcere faciet purpura. Nec improportionatum decoribus ſuis inveniet ſubjectum, ad Pontificium annulum Gemmam Prælatorum habebit, ad violas Præſuleas florem Purpuratorũ inveniet, ad cælum Senatûs, primæ magnitudinis ſydus ſortietur. Hæc de ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO Regni *SECRETARIO vate calamo exarantibus, occurrunt Magna Nomina, ILLUSTRISSIMI Capitanei JOSAPHAT* Chencinenſis, *FABIANUS* Sochaczovienſis, *SZANIAVII. Necdum juſtam an-* Illuſtr: Capitanei ſummæ dexteritatis.

 norum

norum attigerunt plenitudinem, & jam orbem totum ſui nominis impleverunt famâ, geſtis annos ſuperârunt. In primo ætatis ſuæ curriculo, ita gloriæ decurrunt olympia, ut longo poſt ſe Lechicos relinquant intervallo Celerinos, in primo juventutis eorum flore, uberrimos ex illis legit fructus Patria. Veniunt ad congreſſus Palatinatuum, ubi quot capita, tot ſenſus, & ſuæ momentis ſapientiæ, ex tanta multiplicitate ſentimentorum, unam faciunt ſummam, diſcordantia inter ſe Numina, veriores extra fabulas Poëtarum Mercurij, ſuâ conciliant facūdiâ. Adeunt generalium Comitiorū conclave Legati, illo verborum perorant torrente, ut flumen Demoſthenis ex ore Eorum manare videatur, illâ ſenſuum maturitate, ut exciſa è Jovis cerebro Pallas, in illorum capite ſedem fixiſſe affirmetur. Plurimi in hoc orbis Sarmatici theatro perſona-

ſonatos tantùm agunt actores imponẽtes cum Cicerone populo, ILLVSTRISSIMI CAPITANEI, deſideria Civium candidè, quod juſtum, vota populorum exponunt fideliter, quod glorioſum, ita ſemper Actum ſuum abſolvunt, ut à tota, quanta eſt, Orcheſtra Senatoria plauſum mereantur. Quæ illis elogia proximè præteritis non dedêre comitijs, conſcripti Patres? alij Gemmas Coronæ Sarmaticæ, alij nova Poli Poloni ſydera, Principes Legatorum, intitularunt alij, unuſquiſq; avitum Illorum AGNVM ſuper ſydera efferebat. Ita nimirum SZANIAVIANVS AGNVS quocunq; ſe verterit, ubiq; paſcua gloriæ invenit, jam & purpurati Regni Proceres OSSOLINII, POTOCCII, MIACZYNSCII, CHODOROWSCII, KRASSOWSCII, LINIEWSCII, alijq; ſexcenti, laverunt ſtolas ſuas in ſangvine illius, habentq; Nomen

ejus scriptum in frontibus suis.

Ill: Præsulis Chelmẽsis eruditio.

Quantum lumen gloriæ habes ILLVSTRISSIME PRÆSVL ex tot syderibus! quantum Corona nostra pretiũ ex tot virorũ Gemmis! Orbis Poloni judicio committimus. Nec minus illi conciliat unio rarissimarum Tuarum cum eruditione virtutum, quibus à teneris ærarium mentis ditare intendisti. Rara hæc apud viros divitiarum scholasticarum gemma, plerumq; enim præter profanæ eruditionis opes, nulla Sanctioris verecundiæ corallia in eorum thesauris reperies. Dialecticis divites summulis, de summa sanctificantis gratiæ nihil possident, Tullianæ eloquentiæ locupletes auro, cælestis doctrinæ nec minutum habent. Piscantur abdita in Erythræo scientiarum conchylia, & gemmam innocentiæ amittunt, quærunt in montibus Heliconis reconditos sapientiæ thesauros, & talentum gratiæ abijciunt; Tibi litera-

terariæ eruditionis gemmæ, absq; perfectionis unione viluerunt, Thomistica non placuit Summa, absq; virtutum numero, ita solidioris doctrinæ quæsivisti adamantes, ut lapides offensionis, petras scandali evitares, ita coacervandis academicæ scientiæ intendisti opibus, ut simul omnes virtutum gazas accumulares. Et inde est, quod in utroq; divitiarum genere locupletissimus evaseris, quidquid enim in Platonis deposito pretiosi, quidquid in Aquinatica Summa reperitur magni, id totū intra gazophilacium eruditæ mentis inclusisti. Pauper est penes suas divitias Tullius, si ærarium Tuæ eruditionis aperire velis, erubescet penes corallia suæ sapientiæ Aristoteles, si in eadem bilance cum adamantibus Tuarum rationum appendantur. Non adiisti quidem septemplici montium elevatam vertice Romam, ut in montibus illius non adulteratum eruditio-

F 2 nis

nis aurum scrutareris, non instituisti ad Veneticum Adriam, ad Tagum Hispaniæ, ad Sequanam Galliæ, ad Rhenum Germaniæ sumptuosam navigationem, ut pretiosos scientiarum in illis uniones quæreres, illas tamen sapientiæ margaritas in Polono piscatus es Vistula, quas alij transæquora navigantes nec viderunt, nec invenerunt. Quanta est hæc Patriæ nostræ gloria! dum argumento ad hominem extero ostendisti orbi, etiam ex agris campestris Sarmatiæ erui posse ingentes scientiarum thesauros, modò industrij non desint operarij, etiam Polonum Vandalum, præter scuta, galeasq; virûm, præter corallia heroi Sangvinis, pretiosa eruditionis volvere conchylia. Porrò, quantas in illo piscatus sis ingenij opes, non explicamus, Tu enim ipse è Cathedrali Leopoleos exedra affluentissimè easdem explicâsti, in qua, illo cælestis eloquentiæ perorâsti

Concionatorem Cathedralem agit Leopoli.

obry-

obryzo, quod in aurea Chrysostomi svada appretiavit Antiochia, illis Ecclesiasticam eruditionem exornâsti gemmis, quas ex Archipelago Augustini hauserunt Hipponenses, illos solidorũ argumentorum appendisti adamantes, quos penes suos lapides Ecclesiæ ostendit Hieronymus. Si Te perorantem Divinus audîsset Patiens, cessasset quærere, Sapientia ubi invenitur? *Ille quippe eras, in quo omnes Sapientiæ thesauros vidisset reconditos, exclamâsset laureatus ille Sarmatiæ Vates paulò mutato carmine*

O quis sacratæ fons sapientiæ
Exuberanti vividus impetu
Bachatur, & lymphata secum
Corda rapax animosq; volvit!

Merebantur istæ Tuæ eruditionis gemmæ, jam tunc Præsuleo annulo, Episcopali inseri tyaræ, coronam tamen Cathedralium Canonicorum priùs Ad Canonicatum Leopoliensem promovetur.

illis exornâsti, vel ut nativæ gemmarum consuleres proprietati, quâ semper ad inferiora feruntur, vel, quòd nôsses, ubiq; suum gemmis constare pretium. Hoc tamen aurum, adamantibus virtutum Tuarum, pro natalibus honoris debebatur cunis, iste Sacri Senatûs olympus tanti Syderis ortui assignandus erat, quò illius fulgoribus illustraretur. Et profectò vix zodiacum collati subijsti fastigij, multus ubiq; dies gloriæ oriri cæpit. Accessit inextinctus splendor nominis ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO ARCHIPRÆSVLI Leopoliensi, *minoribus astris, perennis famæ fulgor, integræ Archidiæcesi, omnigenæ serenum felicitatis. Aureis Tuæ prudentiæ radijs, omne illi exserenâsti nubilum, dispunxisti virtutum splendore omnes adversitatum umbras, quæ illustre nomen obscurare nitebantur, reaccendisti in cor-*

dibus

dibus Procerum extinctum amorem Cleri, spes omnium in viridi, more solis, æstu gratiarum Tuarum maturâsti. Illam tum adhuc Luminare minus sparsisti lucem, quâ jam Divorum luci, jam aularum caligo, jam Areopagi tenebræ certatim serenari ambiebant. Igitur postquam sanctimoniæ fulgore Domum Domini irradiâsti, postquam noctes vitiorum in atrijs aularum eliminâsti, missus es, ut cæcam illuminares Justitiam. Ivisti promptè, & vix atria illius ingressus es, amissum illi restituisti lumen, vix lucerna AGNVS Tuus resplenduit, mox oculi illorum, quos auri fulgor excæcaverat, nè causas pupillorum viderent, sunt aperti. Receperunt ad ortum tanti luminaris, lumen suum stellæ illæ, quæ toties fatali extingvebantur occasu, quoties aurei oriebantur soles, meliùs videre cæperunt cæci illi, qui nihil videbant, nisi cusa in

Deputatus ad Tribunal Regni.

in argento reſplenduiſſet cynthia, reſpexerunt ſinguli, qui duces ſibi conduxerant mercenarios, quorum miniſterio ad hæreditaria deducerentur bona, ubi radijs Tuæ illuxiſti præsẽtiæ. Nimirum ad inſtar ſolis omnes juridicarum difficultatum diſpunxiſti nubes, quæ lucem veritatis involvebant, diſſipâſti umbras, quæ nè id quod rectũ erat, videret Areopagus. impediebāt. Tibi ergo debet cælum Polonæ Themidis, quòd nullum ſydus erraticum habuerit, quod à via recti deflecteret, Tuæ ſplendoribus gratiæ, pupilla egeſtas, quòd perditas fortunæ ſuæ invenerit drachmas. Solem Te ſanè exhibuiſti illi, non exoratus exoriendo, rorem lachrymarum illius in gemmas melioris fortunæ transformando. Vt autem miſeros clementiæ radijs, ſic ſcelera ſeveriore perſtrinxiſti ardore, ut in afflictos clemens, ſic in crimina juſtè ſeverus. A decretoria Tua ſen-

tentia

tentia, etiam purpurati excessus nunquam sinè rubore abierunt, nec ullum in libra Tua auro trabeata iniquitas invenit pretium. Nulla criminalis causa in crumenalem abijt, pœnas, non aurum Te pro reatibus exigente. Par æquitas Tua in Leopoliensis *Consistorij Tribunali, nunquā Te Judice, æqvum, aureus debellavit asellus, nec aliquando Tuæ bilancem justitiæ, in suam aurum inflexit partem. Procedebant de throno AGNI Tui fulgura, & voces, illa in meritas contumaciæ pœnas, istæ in assertionem innocentiæ, ideoq; à Tuo tribunali innocentia cum plausu, iniquitas cum gemitu semper recessit. Ecclesiasticæ integritatis zelantissimus, ipsis syderibus dixisti diem, si vel minimā in illis notâsti maculam, quidquid in Sanctuario Domini non sanctum, quidquid in atrijs Domûs Dei non divinum, id totum, sanctioribus edictis* Officialis Leopoliensis.

H *corre-*

correxisti. Vidit flagrantissimum istū Tuæ Justitiæ zelum, Stemmaticus Rossicæ Metropolis Leo, & ingentes illi elogiorum præbuit favos, spectavit ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS ARCHIEPISCOPVS Leopoliensis, & *avitâ suâ Literà grandes illi conscripsit panegyres, pretiosissimus in sæculorum memoria* SKARBEK, *gemmâ Suffraganeæ dignitatis appretiavit, Præsulei honoris aurum, auro Tuarum virtutum addidit. Nec vilius illas decebat munus, Tui pro Ecclesia sudores Præsuleo pallio abstergendi, insulati ante tempus dignitates mores, Pontificia cydari coronandi, Virgines Tuæ Musæ, Episcopali erant ornandæ annulo. Et pridem hæc sacra consecutus fuisses insignia, nisi Præsuleæ sphæram tæniæ, velut alteram Ixionis exhorruisses rotam, jacta ante Te honoris retia, pennis modestiæ sollicitus*

Suffraganeus Leopoliensis creatur.

præ-

prætervolare. In cassum tamen casses illius effugere nitebaris, incidisti vel invitè in retia illius magnarum alarum Aquila, victimatus est vel recalcitrans avitus Tuus AGNVS in ara honoris Præsulei. Submisisti igitur cum patritio Ariete *honorarijs securibus collum, passus es ab* Albano Sydere, Capsensis *Episcopi titulo Tuam illustrari modestiam, exporrexisti manum ad Episcopalem annulum, sed ut illo tanquam novus extra fabulas Gyges, Tuarum eminentiam celares virtutum, induisti Præsuleum pallium, ut illo latiùs miseros posses protegere.*

A Clemente XI. Episcopus Capsensis declaratur.

Semper illi quidem de vellere AGNI Tui pallium protectionis habuerunt, elicuit non semel illis aureos beneficiorum fontes, sed ubi in montem Pontificij ascendit honoris, integrum gratiarum oceanum illis aperuit, quo suam explerent sitim. Sic non sibi, sed alijs fert vellera patritius

Liberalitas Illustr: Præsulis.

Tuus Agnus *ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, non in suum, sed egenæ paupertatis commodum, sua dispensat pascua. Præter Præsulei gemmam annuli, nihil possides, præter pretiosos virtutum uniones, nullas divitias habes, sic liberalissimâ dexterâ opes ærarij Tui, in pauperes erogâsti. Non sinis in corde Tuo aureis nummorũ coronatam circulis regnare avaritiam, illi subjectissimus aviditati, quæ ad virtutes, veras animi divitias, exstimulat. Igneus est in Te virtutum amor, extingvendæ illius siti, nec ipsum sanctitatis pelagus, quod Te circumdat, potest sufficere. Dives es omnium illarum thesauro, & tantis abundans divitijs, adhuc Tibi aliquid deesse existimas, licet nec minimum defectum patiaris. Non possunt satiare appetitum Tuum magnetes affabilitatis, quibus ferrea etiam in amorem*

Studium virtutum.

rem

rem Tui pertrahis corda, nequeunt explere desiderium illi solidissimæ adamantes constantiæ, quos nulli adversitatum perfringunt mallei, illi Divini amoris carbunculi, quibus pectus Tuum æstuat, semper ad ardentiorem ejusmodi gemmarum conquisitionem Te inflammant. Inde est, quòd licet augusti ærarium animi, plurimis virtutum repleveris unionibus, adhuc ipsa plenitudo vacua Tibi videatur. Nullas Te sanctitatis opes possidere passim proclamas, cùm tamen & aurum charitatis, & argentum candoris, & verecundæ corallia modestiæ, & quidquid ad gazas animi pertinet, id totum in Tuæ gazophilacio mentis reposueris. Produnt latentes apud TE ejusmodi thesauros, flammæ sanctioris zeli, quibus CRACOVIENSEM, dum illam visitares, illustrâsti Dioecesim, altarium splendorem à Tuæ radijs derivavit sanctimoniæ, nitorem Domûs

Visitat Diœcesim Cracovien.

Domini, à Tuo in ſuperos candore didicit. Quòd facta ſit non habens rugam, neq; maculam, ut decet Sponſam AGNI, Tibi terſiſſimo virtutum omnium debet ſpeculo, quòd hucuſq; vernantibus pietatis roſis floreat, Tuæ vigilantiæ debet ſpinis, quòd in ſemel præjactis ſanctimoniæ fundamentis inconcuſſa ſubſiſtat, Tibi Columnæ Fidei tenetur adſcribere.

Ad Epiſcopatum Chełmensẽ promovetur.

Et hæc eſt illa ſumma, quà apud univerſos Regni proceres, apud ipſum SERENISSIMVM MONARCHAM, illud Tibi conciliàſti pretium, ut illam gemmis cum CHEŁMENSI Inſula dignam cenſuerit, Senatorià dignam purpurà judicàrit. Complacuit ſummè huic coronato Paſtori Patriæ, candor Aviti Tui AGNI, dum penes pellucida Domûs ſuæ FLVMINA nullam in illo notavit maculam, placent Electorali huic Cæſarum capiti, elevatiſſimi Tuæ mentis

tis

tis ſenſus, huic Romani MARESCHALLO Imperij, Paſtoralis Tua virga tot virtutum ornata floribus. Evaſiſti dilectiſſimus IOANNES Domino ob ſingulares animi gratias, triumphalibus ſuis ENSIBVS palmarem Tibi ad honores aperit ſemitam, coronat emeritum verticem Pontificalibus gemmis, quas in Stemmaticis SERENISSIMÆ DOMVS FLVMINIBVS eſt piſcatus. Elevat pronunc AGNVM Tuum ad cælum Chelmenſis Eccleſiæ, quod nuper hortorum ſydera SZEMBEKIANÆ illuſtrarunt ROSÆ, triumphali ſuo Cornu FREDROVIANVS propugnavit MONOCEROS, brevi ad ſublimiores illum translaturus ſphæras. Succedis ergò mediatè Roſeo Præſuli, Flos Antiſtitum, Magno noviſſimè ALEXANDRO, quo non ſurrexit major JOANNES, ſuccede Celſiſſimis eminenter, Eminen-

tiſſimis ſublimiter, texantur de vellere Domûs Tuæ AGNI, Archipræſulea pallia, Cardinalitiæ purpuræ, id orbis Sarmaticus, id minima SCHOLARVM PIARVM RELIGIO apprecatur.